

per occurrere, impossibile esse ut post Viri sancti tale promissum, in sæculari habitu moreretur. Nec fraudatus est spe sua : siquidem venerabilis Walerannus Ursi-Campi cœnobii primus abbas monachum illum fecit, et angelico functus officio, pacem quam ex ore Patris sancti ipse susceperat, communicavit Herveio. Cujus talis postmodum apparuit conversatio, ut tali dignus oraculo videretur. Nam et prædicto Waleranno in regimine monasterii Ursi-Campi (74) ille successit; et novissime obitum suum imminens sanus adhuc et incolumis, eodem Waleranno per revelationem sibi annuntiante, præscivit atque prædixit.

10. Et quod addimus, huic simile fuit. Patrem sanctum fines Parisiorum aliquando peragrante, ut ad ipsam diverteret civitatem, episcopus Stephanus et cæteri omnes qui pariter aderant, obnixè rogantes non poterant obtinere. Magno siquidem zelo, nisi causa gravis urgeret, conventus publicos declinabat. Cumque vespere iter suum alias ordinasset, mane ubi primum locutus est fratribus, dicere jubet episcopo. « Quia Parisius ibimus, ut rogasti. « Conveniente igitur clero admodum copioso, sicut semper ad eo solebant expetere verbum Dei, continuo tres ex illis compuncti sunt, et conversi ab inanibus studiis ad veræ sapientiæ cultum, abrenuntiantes sæculo, et Dei famulo adhærentes : quorum ille primum intuens, cum subito inter loquendum surgeret, peteretque vestigia ejus, inclinavit se modice, et fratri cuidam propius assidenti in aure locutus est, dicens : « Istum ego, sicut nunc video, venientem nocturna visione prævidi, propter quem etiam Dominus nos adduxit. » Qui nimirum novitius in multa postmodum puritate et devotione conversatus, plurimumque acceptus Deo et hominibus, in Clara-Valle post annos aliquot beato fine quievit. Apparuerunt aliquando Viro Dei in Trecensium urbe posito venerabiles ejus filii, jam quidem carne soluti, Galdricus et Gerardus : quorum etiam secundum carnem alter germanus, alter avunculus ejus exstiterat. Cumque velut accelerantes ocius pertransirent, revocanti **1134** et retinere volenti respondebant, eundem sibi pro fratre Gaufrido monacho, qui eorumdem a prima conversione socius, strenue satis in multis cœnobiis exstruendis militaverat Deo. Continuo Pater sanctus excitatis fratribus accelerari jubet, et ad monasterium veniens, ipso die, sicut eis prædixerat, eundem Gaufridum jam positum reperit in extremis.

11. [Infensus aliquando rex Francorum senior Ludovicus quibusdam sui regni episcopis, suis eos sedibus et civitatibus exturbavit. Unde etiam hic Vir reverendus plures scripsit epistolas, pro eorum pace laborans, quarum hodieque exemplaria perseverant. Accidit autem, ut præsentem eodem Patre sancto, episcopi multi indignationem Regis flectere

(74) *Ourschamps*, in diœces. Noviomensi, fund. an. 1129, a Simone episcopo.

cupientes, tota humilitate prostrati solo tenus, ejus tenerent vestigia, et nec sic gratiam obtinerent. Quæ ex re Vir Dei religiosa animositate permotus, die altera Regem durius increpans, quod Domini sacerdotes sprevisset, libere quoque denunciavit, quod eadem sibi nocte fuerat revelatum : « Hæc, inquit, obstinatio primogeniti tui Philippi regis morte multabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludovico ad pedes episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum : et protinus intellexi, Philippo celeriter facto de medio, pro Ludovici substitutione Ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogatorum. » Quod quidem non longe post miserabilis casus implevit : et decedente Philippo, egit pater, ut is, qui feliciter hodie regnat, Ludovicus junior ungeretur.]

### CAPUT III.

*De variis futuris eventibus spiritu prophetico ab eo prædictis.*

12. Fidelissimum principem Theobaldum comitem, in magna tribulatione probatum, non minus mirabiliter quam misericorditer Dominus liberavit. Is nimirum potentissimus in regno, et secundus a rege, totus tamen eleemosynis deditus, et studio pietatis intentus, omniumque servorum Dei, sed specialiter Bernardi Claræ-Vallensis amator devotissimus erat. Quem eatenus impugnari et affligi passus est Deus, ut Rege pariter et vicinis potentibus fere cunctis adversus eum conjurantibus, usque adeo de ejus evasione desperaretur, ut publice quoque jam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi et Conversi, inutiles ejus milites et balistarii dicebantur. Nec modo apud extraneos, sed in ipsis quoque ejus civitatibus et castellis ejusmodi jam blasphemiarum personabant. Denique congregatis aliquando episcopis pluribus, aliisque personis, præsentem etiam Viro Dei, dum super his agerent et colloquerentur, episcopus quidam eo tempore, auctoritate et opinione prudentiæ celeberrimus aiebat : « In manu Regis est comes Theobaldus, non est qui possit eum eruere. « Respondente alio quodam antistite, « Est qui possit liberare eum : « multum ille miratus quisnam crederetur posse, quærebat. Demum audiens quia potest eum eripere qui omnia potest Deus; non parum substomachans : « Potest, » inquit, « si manifestus appareat, si clavam teneat, hinc inde percutiat; sed hactenus ista non fecit. » In tanta igitur desperatione, cum prædictum principem vehementer urgerent extranei, gravius tamen impugnarent qui ab eo defecerant universi pene potentes homines sui; nec minus illum affligerent pauci qui residui videbantur, ex aliorum defectu ipsi quoque suspecti : Lingonensis episcopus Godefridus frequenter et familiariter Dei hominem consulebat, quidnam sibi Dominus super his revelaret. Cui ille, cum jam sæpius respondisset, nihil sibi apparere nisi tribulationem super tribulationem, demum aliquando

seiscitanti, ait, quia quinto mense pax erit. Sane ultima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem et orante, et operante, ut non esset ambiguum ejus potissimum studio et merito piissimum illum principem a tam gravibus imminentibusque periculis liberatum.

13. [Post annos aliquot inter eundem regem Francorum, et Gaufridum comitem Andegavensium exercebantur **1135** inimicitie graves. Causa erat, quod virum nobilem Gerardum de Monasteriolo, Rege prohibente, in munitissimo oppido suo Comes obsidens, comprehenderat cum uxore ac liberis et propinquis, ipsamque diruerat munitionem. Tractabat ergo Vir sanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipsum episcopis et principibus congregatis : cum subito Comes ille amaritudinis felle commotus, insalutatos omnes relinquens, equo insiliit, et recessit. Confusus denique omnibus, jam conventus in desperatione pacis solvebatur, et prædictus Gerardus accedens ad Hominem Dei, licentiam postulabat, velut in mortem et carcerem rediturus. Sub obsidibus enim ad colloquium illuc erat adductus. Cumque Vir Domini consolaretur eum, gravius ille flens et ejulans : « Meam, inquit, minus doleo sortem : meos omnes lugeo pariter morituros. » Compassus itaque Vir beatus : « Ne timeas, ait. Certus esto quia Deus tibi tuisque subveniet, idque celerius quam valeas vel sperare. » Siquidem recordatus visionis, quam veniens ad id colloquium viderat, tanquam lecturum se Evangelium, a sancto episcopo Malachia petere benedictionem, confusus est pacem sine dubio proventuram. Necdum Gerardus ille limen domus attigerat a facie ejus egrediens, cum subito quidam occurrens, redire comitem nuntiavit. Mirati sunt omnes, tam celerem audientes promissionis effectum. Eadem etenim hora comes rediit, et pariter pax desiderata provenit. Erat autem idem comes pro eodem negotio ex mandato summi Pontificis anathematis vinculis innodatus; sed absolvendus humiliari, ut debuit, vel culpam super hoc fateri suam, penitus recusavit : magis autem, ut erat plurimum animosus, Deum sibi culpam hujusmodi nunquam remittere imprecabatur, innocentem se reputans et injuste ligatum. Quamobrem discessit Pater sanctus non parum tristis ab illo, dicens ei, siquidem litteras noverat, « In qua mensura mensus fueris, remetietur tibi (Matth. VII, 2). » Eadem autem die, causantibus super hac improbitate personis quibusdam, et principem illum graviter errasse dicentibus, accensus zelo Dei Famulus, aiebat : « Graviter satis hæc temeritas punietur. Fieri omnino non potest, quin hoc eodem anno comes ipse aut moriatur, aut evidentem aliam divinæ indignationis sentiat ultionem. » Hoc verbum et ex ipsis, et ex aliis audire non pauci. Quod tam celeriter est impletum, ut comes idem infra diem quintum decimum moreretur.]

14. Ingressus aliquando Servus Christi Germaniæ regnum, festinabat ad partes Moguntinorum, pacem

PATROL. CLXXXV.

reformaturus inter regem Lotharium, et prædecessoris ejus imperatoris Henrici nepotes; Conradum scilicet, qui Lothario postea successit in regnum, et Fridericum patrem hujus Friderici, qui post Conradum electus obtinet hodie principatum. Venerabilis autem metropolitanus Moguntinorum Albertus honorabilem quemdam clericum, nomine Mascelinum, Viro Dei obviam misit. Hic igitur Mascelinus cum a domino suo missum se esse diceret ad serviendum ei, paulisper intuitus illum Vir Dei : « Alius, inquit, Dominus ad sibi serviendum te misit. » Expavit Teutonicus, et miratus quid dicere vellet, firmius asserebat a domino suo Moguntino sese archiepiscopo destinatum. Econtra Servus Christi : « Falleris, ait, major Dominus est, qui misit te, Christus. » Tunc demum intelligens homo quorsum vellet vibrare sermonem : « Putas, inquit, quod monachus fieri velim? Absit a me; non cogitavi, nec ascendit super cor meum. » Nihilominus tamen renuente illo. Dei Famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, non quod ipse de se cogitaverat, sed quod de eo disposuerat Deus. In eodem denique itinere conversus ad Dominum sæculo valefecit, et cum aliis pluribus litteratis honoratisque personis, quas collegit eo tempore Servus Christi, ipse quoque, sicut sibi prædictum fuerat, secutus est eum.

15. Henricum quoque germanum regis Francorum, qui Belvacensem hodie cathedram ornat, non dissimili Dominus conversione mutavit. Accidit enim ut veniens idem Henricus ad Hominem Dei super quodam sæculari negotio locuturus, conventum etiam fratrum visitans eorum sese orationibus commendaret. Cui Pater sanctus **1136** inter verba sanctæ exhortationis : « Confido, » ait, « in Domino, nequaquam in eo te moriturum in quo nunc positus es; sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum prosit oratio quam expetisti. » Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est, et de tanti juvenis conversione cœnobium omni exultatione repletum. Lugentibus autem sociis, et familia tota, ac si mortuum illum cernerent, ejulante, præ cæteris Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium, Henricum vociferabatur insanum, nec conviciis, nec blasphemis parcens. Econtra sane, idem Henricus pro illius potissimum conversione Dei Hominem dare operam precabatur. Cui Vir sanctus audientibus multis : « Dimitte, ait, hominem; modo anima ejus in amaritudine est, nec pro eo multum sollicitus sis, quia tuus est ille. » Cumque amplius spe concepta Henricus instaret ut loqueretur Andræ, severius intuitus eum Vir Dei. « Quid hoc est, ait? nunquid non jam dixi tibi, Tuus est ille? » Audiens hæc Andreas, astabat et enim et ipse, sicut plurimum improbus erat, et a sacra conversatione vehementer abhorrens, talia secum, ut hodieque fatetur, tacita cogitationeolvebat : « In hoc nunc scio falsum te esse prophetam. Hoc enim certus sum quia locutus es verbum, et non fiet. Hoc tibi ego coram Rege et princi-

pibus, in celebri quocunque conventu improperare non parcam, ut tua omnibus falsitas innotescat. » Caeterum quam mirabilis Deus in consiliis super filios hominum, ridens eorum vana conamina, ut propositum suum quando, et quomodo ipse voluerit impleatur! Siquidem die altera ibat Andreas mala omnia imprecans monasterio, ubi dominum dimittebat, ipsam quoque desiderans vallem funditus subruum cum habitatoribus suis. Nec parum moti sunt et mirati, qui praedictum Viri sancti de ipso audierunt verbum, cum taliter videretur abire. Sed non diu pusillanimitatem eorum et fidem modicam tentari passus est Deus. Illa tantum die procedens et repellens quodammodo gratiam Dei, nocte proxima victus et quasi vincens trahente se et vim faciente Spiritu Dei, diem exspectare non potuit; sed exurgens ante diluculum, velociterque rediens ad monasterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo altero Paulum alterum exhibebat.

16. Inter caeteros quos de vana conversatione huius saeculi per ministerium servi sui Christus eripuit, de partibus Flandriae multi aliquando nobiles, multi sapientes et litterati viri sub ipsius magisterio sacram professi sunt servitum: quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui postmodum in Clara-Valle Prioris officio functus est, et defunctus in eo (75). In quibus evidenter satis evangelicum illud impletum est: *Multi dicent vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic (Matth. xxiv, 23)*. Plurimis enim persuasionibus actum est cum eis, ut aliam magis eligere professionem, et loca alia debuissent, donec occurrit Dei Famulus jam prope dispersis: et in verbis gratiae, quae procedebant de ore ejus, pristina omnis haesitatio facta de medio, et omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est firmata voluntas. Quod quidem non sine subita et penitus insperata quorundam ex ipsis mutatione factum est animorum. Denique cum jam Dei Hominem ad monasterium sequeretur praedictus ille Gaufridus, gravissima cepit tentatione pulsari. Intuitus autem illum unus e fratribus: « Quid est, inquit, quod facies tua exterminata, et tristitiae quodam nubilo graviter obvoluta videtur? » Cui Gaufridus: « Scio, inquit, quod nunquam amplius laetus ero. » Quod verbum cum ad Dei Famulum idem frater satis anxius retulisset, videns ille sacram basilicam prope viam per quam gradiebantur, in eam divertit, et ingressus orabat. Caeteris autem deforis praestolantibus, Gaufridus ille gravatus taedio super lapidem obdormivit. Demum cum ambo pariter surexissent, ille de oratione, iste de somno, apparuit idem Gaufridus tantum jucundior et hilarior caeteris, quantum tristior prius. Cumque ei praedictus frater verbum mœstiae quod locutus fuerat, amicabilem improperaret: « Etsi tunc, inquit, dixi. Nunquam amplius laetus ero; sed nunc dico, Nunquam amplius tristis ero. »

**1037** 17. Idem quoque Gaufridus primo tempore tirocinii sui pro patre suo viro nobili et potestate (75) An Ch. 1146; vid. epist. 106.

tenti, quem in saeculo reliquerat, filiali pietate sollicitus, Patrem sanctum pro ejus conversione rogare Dominum, affectuosius exorabat. Cui Vir Dei: « Ne timeas, inquit, ego illum probatum monachum manibus meis in hac Clara-Valle sepeliam. » Utrumque secutum est, et perfectus monachus factus est; et a Patre sancto, sicut ipse praedixerat, in Clara-Valle sepultus. Tanquam enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, et creberrimum, imo continuum responsum mortis in se ipso habens, sustinuit donec Pater sanctus rediret, qui, ut olim promiserat, eum traderet sepulturae.

18. [Regina Franciae, supradicti Ludovici Junioris uxor, plures cum eo fecerat annos, et sobolem non habebat. Erat autem Vir sanctus apud Regem pro quadam pace laborans, et Regina in contrarium nitebatur. Cumque eam moneret desistere coeptis, et Regi suggerere meliora, inter loquendum illa coepit conqueri super sterilitate sua, humiliter rogans, ut sibi partum obtineret a Deo. At ille: « Si feceris, inquit, quod moneo, ego quoque pro verbo quod postulas, Dominum exorabo. » Annuit illa, et pacis non tardavit effectus. Qua reformata, praedictus Rex, nam verbum ei Regina suggesserat, a Viro Dei promissum humiliter exigebat. Hoc autem tam celeriter est impletum, ut circa idem tempus anno altero eadem regina pepererit.]

19. Dominus abbas Rainardus Cisterciensis, quem ex Clara-Valle assumptum Pater sanctus et ut filium amplectabatur, et reverebatur ut patrem, ob quorundam monasteriorum ordinationem Provinciae partes intravit. De quo Vir Dei in Clara-Valle consistens, dum fratri cuidam loqueretur, subita inspiratione permotus: « Dominus, ait, Cisterciensis, aut mortuus est, aut in proximo moriturus. » Nec parum ille frater miratus est audiens verbum: magis tamen obstupuit, cum ejusdem abbatis post dies paucos audiret obitum nuntiari.

20. [Eodem anno, quo de hac vita Pater sanctus fuerat exiturus, tres adolescentes de proximo oppido, quod Barrum dicitur super Albam, monasterium Clarae-Vallis gratia conversionis intraverant, quorum tertius, suadente maligno, ad vomitum est reversus. Qua ex re pro duobus aliis magis solliciti fratres, ipsi quoque praesentibus, Patri sancto super hoc loquebantur. At ille intuens in eos: « Hic, inquit, nulla unquam tentatione laborabit: iste vero, multa; sed tamen praevalebit. » Utrumque sicut audivimus, sic vidimus: adeo ut frequentius alteri objiceremus, cum aliquoties in tentatione pene deficeret, et inciperet jam abire, impossibile esse ut vinceretur, quem Vir sanctus dixerat nulla tentatione vincendum.] Pernoctabat aliquando Dei Famulus in oratione, in suo Clarae-Vallensi cenobio constitutus, et solita intentione Dominum deprecabatur. Contigit autem eadem hora pauperem quemdam, et vere pauperem spiritu, in cella hospitem mori, cujus animam cum vocibus canoris in caelum

deferri Pater sanctus audivit: et interrogatis mane fratribus, qui adfuerant, illam fuisse horam obitus ejus comperit, qua praedictas audierat in sublime tendentium voces.

## CAPUT IV.

*De mirabilibus et variis beneficiis ab eo, praesertim in regno Galliae, praestitis.*

21. Cum beatus episcopus Malachias, cujus vitam virtutibus plenam Vir sanctus studiose descripsit, juxta desiderium cordis in Clara-Valle beatam caelo animam reddidisset; offerens pro ejus transitu venerabilis Abbas hostiam salutarem, gloriam ejus Domino revelante cognovit, et eodem inspirante, sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis, et collectam intulit, quae ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationes defunctorum pertinet, ita dicens: « Deus, qui beatum Malachiam pontificem sanctorum tuorum meritis coaequasti, tribue, quaesumus, ut qui pretiosae mortis ejus festa agimus, vitae quoque imitemur exempla. »

**1138** Deinde reverenter accedens, sacra ejus vestigia devotissime osculabatur. Modum tamen et seriem visionis nec cuiquam aperire, nec in ejusdem episcopi Vita scribere acquievit: hoc tantum respondens, cum plurimum rogaretur, nimis ad propriam sui ipsius pertinuisse personam. [Nec sane dubium, plura eum similia occultasse similiter, quaecunque videlicet passus est Dominus occultari. Nam et Virduni aliquando, quae est civitas Lotharingiorum, cum ad tumulum reverendissimi viri Alberti (76) episcopi Ostiensis, noviter ante defuncti, pro commendatione ejus sacrificium laudis offerret, collectam similiter in fine mutavit: de quo tamen quid vidisset, nec interrogatus est, nec confessus, cum sine certa revelatione id fecisse minime videatur.]

22. Super his quae ad gratiam pertinent sanitatum, tam multa insignia per hunc famulum suum operatus est Christus, ut in eo quoque videretur exhiberi, quod de ipso Joannes evangelista testatur: *Si omnia scriberentur, ne ipsum quidem mundum capere eos, qui scribendi fuerant, libros (Joan. xxi, 25)*. Caeterum nos saltem pauca de pluribus exempli gratia proferamus. Castrum-Villanum accolae vocant, quod a Clara-Valle, ut aiunt, sex milliariis distat: ubi mulier praegnans tempus omne transierat pariendi, et aliquantis mensibus jam decursis, cum necdum pareret, amplius mirabatur. Cujus eo usque dilatus est partus, ut morbus potius videretur, nec jam crederetur esse praegnans, sed tumens. Quis enim credere posset infantulum anno integro intra viscera posse materna teneri? Desperata igitur mulier ad monasterium Viri Dei ducitur sic se habens. Sistitur ad portam misera, portario fratri causa tam miserabilis intimatur. Rogatus ille, et inaudito compassus incommodo, supplex adiit Pa-

(76) Legendum *Alberici*; ad quem epist. 219, et de quo supra lib. III, n. 17.

trem sanctum, fideliter ei necessitatem indicans mulieris, fideliter explens negotium susceptae legationis. Et, o mira divinae virtutis operatio, mirabiliter accelerantis quod mirabiliter tardabatur! Tanquam enim hoc solum tanto tempore nasciturus infans exspectaverit, hora eadem femina peperit, et praecurrente remedio, ad portam rediens frater ille incommodum quod nuntiaverat, non invenit.

23. Alio tempore in territorio Autissiodorensi, apud oppidum quod Cona vocatur, mulier quaedam periclitabatur multis diebus, quod venisset filius usque ad partum, et vires non haberet parturiens. Cumque supervenisset interim Servus Christi, postulanti benedictionem, aquam benedictam misit. Gustavit mulier, et confestim natus est puer: quem venerabilis episcopus Carnotensis Gaufridus baptizavit, Bernardi ei nomen imponens. In eodem itinere et in territorio eodem, dum febricitantium multitudo, sicut ubique solebant, a Dei Homine panem peterent benedictum, Girardus quidam clericus ex castro, cui nomen est C'amicium, male sciolus et subsannans fidem populi blasphemabat. In ipsis autem verbis blasphemiae gravissima febre correptus, usque Autissiodorum abeuntem sequi coactus est Virum Dei: et poenitentiam agens apud eum, ipsam, cui detraxerat, multis obtinuit precibus benedictionem. Tam multis vero gustata ejusmodi benedictio reddidit sanitatem, ut solius Dei, cujus haec virtute fiebant, posset notitia comprehendi.

24. Vidimus in Meldensi territorio militem devotissimas referentem gratias Viro Dei, quod ad primum gustum panis ab eo benedicti, plenam receperit sospitatem a febre quartana, qua sic graviter laboraverat mensibus ferme decem et octo, ut in hora accessionis, quasi phreneticus, nec matrem agnosceret suam. Virum quoque venerabilem Gerardum, Lemovicensem episcopum, testantem audivimus, juvenem quemdam de familia sua lethaliter in capite saucium, cum jaceret spumans et impositis, immissa sibi in os buccellula panis, quem benedixerat Homo Dei, tam celerem sensisse virtutem, ut incolumis surgeret ipsa hora. Neque illud tacendum, quod ipsam quoque substantiam panis ab omni corruptionis injuria eadem benedictio vindicabat; adeo ut plures viderimus, qui per septennium et ultra eosdem servaverint panes, nec colore, nec sapore mutato. **1139** Ante hos paucos dies, venerabiles abbates, Girardus et Henricus, de Sueciae partibus venientes, dum super his conferremus, testati sunt nobis, panem ante annos undecim ejus benedictione signatum manere adhuc apud se penitus incorruptum. Nec dissimilem apud aliquos nostrum usque hodie novimus, et apud alios multos credimus esse repositum. Et nunc idoneum satis et evidens hujus rei testimonium proferamus.

25. Vir magnus et magnifice honorandus Danorum archiepiscopus Eskilus (77) Patrem sanctum

(77) Eskilus demum in Clara-Valle monachus

unico venerabatur affectu, unica devotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cum novum cœnobium extruxisset, et impetrasset ab eo desideratum sacræ congregationis examen. Prævaluit apud eum desiderium vehemens, ut homo tantæ auctoritatis, et in insulis illis tam ecclesiastica quam sæculari auctoritate singulariter potens, expositis suis omnibus, etiam semetipsum periculis multis traderet et labori. Nam de expensis dicere non est magnum, quamvis eundem audierimus protestantem, quod expenderit in itinere ipso argenti marcas amplius quam sexcentas. Venit ergo Claram-Vallem tam humilis et sublimis, quem a finibus terræ non curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei zelus et plenitudo devotionis attraxerat. Ubi quantum fleverit, qualem sese non modo erga eum, quem tam unice suspiciebat, sed etiam erga minimos quoslibet fratrum exhibuerit, non est facile dictu. Demum rediturus ad propria, ut benedictum a Dei Famulo panem referre possit, et diutius conservare, humano sensu præcipit ut in clibano recoquatur, sicut solent qui maria transeunt panem ferre biscoctum. Audiens autem Sanctus non est passus errare hominem tam devotum, sed amicabiliter arguens in hac parte fidem ejus modicam inveniri: « Itane, inquit, non poterit, panem ipsum benedictio magis quam recoctio conservare? » Et non acquievit benedicere illum sed communem sibi panem præcipiens exhiberi, benedixit, et dixit: « Ecce hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione sollicitus. » Tulit, et ad suos rediens usque hodie gloriatur fidei suæ defectum evidentissima rei veritate convinci. Nec enim passus est Patris sancti non visitare sepulcrum, nec minus erga eum nunc afficitur, nec minus quam olim in vivente confidit, nimirum quem verius vivere omnino non ambigit. Confessus est etiam nobis de pane quem retulit, quod nunc usque, cum jam tertius annus transierit, illesum eum Beati viri fides et benedictio custodivit.

26. Narraverunt etiam nobis viri religiosi, qui cum eodem archiepiscopo venerant, miraculum dignum memoria nuper factum in cœnobio, quod, ut supra meminimus, in terra sua ipse fundavit (78). Erat enim, inquit, in regione eadem adolescens nobilis, ipsius quoque archiepiscopi secundum carnem propinquus, sed ob multa sua flagitia minus charus. Correptus autem gravissima valetudine, visitationem ejus vix impetravit, et per manum ejus ad monasterium quod fundaverat, ille se contulit. Ubi et cum maxima cordis compunctione renuntians sæculo, per dies aliquot in humili

anno 1178, ibidem decessit anno 1184, ex Chronico Claræ-Vallensi. Exstat ad eum epist. 390.

(78) Is duo monasteria Ordinis Cisterciensis fundavit in Dania: unum vocabulo Granadium in diocesi Lundensi; alterum, Esconense in Roskildensi, de quo hic sermo.

et fidelissima confessione persistens, magis ac magis eadem ægritudine laborabat. Qua demum invalescente exitum sibi imminere cognoscens, abbatis et fratrum præsentiam miro amplectebatur affectu, mira eos devotione monebat, ut spiritualia arma corripere, egressuram protinus animam sibi commendatam efficaciter protecturi, et exhibitori fideliter necessarium prorsus inter imminentium hostium crudelissima tela conductum. Cumque in hujusmodi supplicatione divinis jam Sacramentis munitus, et de eorumdem servorum Dei patrocinio, et Domini miseratione piissima devotione præsumens, ac proinde circumstantibus omnibus multam suæ salutis relinquens fiduciam exspirasset, offerebant fratres pro commendatione animæ ejus, quam devotissime poterant, Dominici corporis hostiam salutarem.

27. Tum subito inimicus humanæ salutis, ex ejusdem, 1140 sicut indubitabile esse videtur, liberatione animæ, quam ex multis diebus irreparabiliter sese occupasse credebat, iram magnam concipiens, et eandem, permittente Deo, crudeliter satis exercens, unum e fratribus repentino furore pervasit. Clamabat igitur horrendis vocibus miserabilis homo, et vix multorum manibus tenebatur. Demum cum maximo quidem labore asportatus, et in lectulo religatus, tam sua quam astantium membra dentibus appetens, dirissime vexabatur. Nec illa quam prius nosset lingua, sed nova quadam, quam nec astantium quisquam noverat, loquebatur. Et cum nihil quod diceret intelligerent, tam libere tamen et sine offendiulo non inconcinnas eum audiebant edere voces, ut indubitanter crederent quod lingua aliqua loqueretur. Post aliquantas igitur horas, cum vehementer confusi fratres quid agere possent anxie cogitarent, et studiose conquirerent; unus ex eis salubre consilium Domino inspirante concipiens, sacra pignora ab ipso archiepiscopo eodem anno istic deposita, videlicet de capillis et barba, et dentem unum beati patris nostri Bernardi afferri monet, et ejus pectori superponi. Quod ut factum est, Germanica lingua per os ejus cœpit horrendis vocibus nequam spiritus exclamare: « Tollite, tollite, amovete Bernardum. » Et dicebat: « Heu, quam ponderosus factus es, Bernarde! quam gravis, quam intolerabilis factus es mihi! » Cumque hæc et similia aliquandiu clamitans loqueretur, factum est breve silentium, et subito frater idem Domino miserante purgatus, aperuit oculos, ac velut de gravi somno evigilans, circumstantes fratres et sua plurimum vincula mirabatur, verecunde satis quidnam sibi vellent hæc, vel quid accidisset, interrogans. Ex ea igitur hora pristinam sanitatem mentis et corporis per beati Patris merita sancta recepit, nil penitus quod in illo tam gravi casu fecerit aut locutus fuerit, recordatus. Hæc quidem a nobis de testimonio viri reverendissimi Eskili Danorum archiepiscopi ex occasione panis a Dei Homine be-

nediti, non sine quadam anticipatione sunt dicta. [De cætero jam ex ordine reliqua prosequamur.]

28. Non modo autem hominibus, sed pecoribus etiam et armentis tam frequenter ejus benedictio profuit, ut monasterii sui cellerarium dure aliquando increparit, quod sibi non indicans, mori animalia permisisset, unde fuerant pauperes sustentandi. Dehinc ut solitus erat, benedixit sal, et animalibus jussit apponi, et protinus lues orta cessavit. Quod in aliis quoque monasteriis vidimus et cognovimus, ut audiens fratrum animalia mori, interdum etiam non rogatus, sed ipse prior admonens eos eodem remedio subveniret. Gaudium dicitur locus quidam Caziacensium (79) monachorum, ubi Vir sanctus cum aliquando pernoctaret, exhibitum sibi juvenem claudum oratione et benedictione sanavit, ita ut post dies paucissimos per eundem locum redeunti incolumis et devotus astaret. In eisdem partibus, vico cui nomen Algorrium, mulierem phreneticam populus obtulit transeunti: cui manus imponens et orans, sanam dimisit, et abiit. Hanc in eodem vico postea vidimus, Viro Dei cum gratiarum actionibus occurrentem.

29. In remotis etiam regionibus, quoque eum Ecclesiæ sanctæ necessitas traxit, virtus est prosecuta signorum. Apud Viride-Folium (sic enim dicitur castrum territorii Tolosani, quod, ut superiore libro meminimus (cap. 6), aliquando Pater sanctus introiens, multis ibidem virtutibus claruit puer mancus et claudus ex utero matris suæ, ad cuiusdam memoriam martyris, utriusque pedis ei alterius manus receperat sospitatem. Hujus alteram manum adhuc invalidam, tanquam divinitus servatam sibi, Pater sanctus benedicens sanavit, ut sanctorum innotesceret particeps esse virtutis. Caturecium dicitur civitas Aquitanie, per quam Viro Dei ipso tempore transitus fuit. Ibi, præter 1141 alia beneficia quæ præstitit infirmantibus multis, unus de pueris episcopi civitatis ipsius, qui ex vulnere gravi alterius oculi lumen amiserat, sub manu ejus visum recepit. In pago quoque Engolismensi, loco cui nomen est Castellare, post oblationem hostiæ salutaris, astantibus venerabilibus episcopis, Lamberto Engolismensi, et Gerardo Lemovicensi, puerum ex matris utero claudum et mancum, cujus in modum pilæ cubiti cum genibus umbilico, pedes autem natibus adhæsisent, Dei Famulo offerebant. At ille singula membra, edito prius signo crucis, attrectans, mira facilitate extendit protinus et sanavit. Apprehendens denique manum ejus erexit illum, et dimisit libere gradientem. Populus autem pro tantis nimirum virtutibus, magnis vocibus Dominum collaudabat. Nam et die sequenti in pago Lemovicensi, in vico quem Sancti-Geniani [al. Germani] nomine vocant, signa per eum plurima claruerunt. Undique enim confluebant qui incom-

(79) Chezy, monast. Bened. in diocesi Suessionensi.

modis variis laborabant, et virtus erat Domini ad sanandum eos. Ubi inter cæteros puer ferme decennis, cæcus ex utero matris suæ, coram omni populo oblatu est Viro Dei. Qui in digitos suos exspuens, et liniens oculos ejus, brevem fecit orationem, et in nomine Christi aperuit oculos cæci nati.

## CAPUT V

De variis miraculis a beato Bernardo per Germaniam, Constantiæ, Basileæ, Francofurti, Treviris, etc., patris.

30. Regnum quoque Germaniæ cum introisset aliquando Vir beatus, tam excellenter enituit in gratia sanitarum, ut nec verbis exprimi, nec credi valeat si dicatur. Nam et testati sunt qui adfuerunt in territorio Constantiensi, circa vicum quem Doniguum nominant, ex iis qui diligentius vestigarunt et viderunt oculis suis, una die illuminatos ad ejus impositionem manus cæcos undecim; sanatos etiam mancos decem, et claudos erectos decem et octo. Cæterum ne fecisse nos inopes copia videatur, ex innumera multitudinis saltem pauca memoriæ commendamus, quæ in locis celebrioribus facta noscuntur. Cum venisset Constantiam Homo Dei, et undique se virtutum ejus fama diffunderet, abbas Augiensis (quod intra lacum Lemani antiquum exstat et nobile monasterium) hominem, quem suis elemosynis sustentabat, cæcum misit ad eum, et confestim videntem illum recepit. Heytereseim dicitur locus ad ejusdem diocesis pertinens civitatis, sed plurimum a civitate remotus. Ibi quoque, sicut et in cæteris illius provinciæ per quæ transit locis, multis in Servo suo miraculis glorificatus est Deus: ubi etiam cæcus natus sub manu ejus visum recepit. Item alteri a nativitate surdo et muto auditus redditus est et loquela. In civitate etiam Basileæ cum ex more sermonem habuisset ad populum, ut impleretur in eo quod de sanctis Apostolis legitur, qui videlicet *perfecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* (Marc. XVI, 20), oblata est ei femina muta, et confestim orante eo locuta est: oblatu est claudus, et ambulavit: oblatu est cæcus, et vidit.

31. Apud Spirensium civitatem, præsentem Romanorum rege Conrado, qui Dei Hominem ab ecclesia ad hospitium devotissime deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes ut ei manum imponere dignaretur. Quem signatum protinus erigens, super pedes statuit, et libere gradiebatur, in Dei laudem acclamantibus universis. In capella episcopi civitatis ipsius, rege ipso vidente, visum reddidit cæcæ cuidam mulieri, et claudum nato gressum donavit. Multa quidem et alia in manu ejus ibidem Christus effecit, sed ad exemplum pauca sufficiant. Nonnullos etiam pauperulos pueros rex ipse devotus suis illi manibus offerens, de multorum curatione meruit gratulari. Nec modo apud prædictam Spirensium urbem, sed apud Francovadium Monguntinæ diocesis locum, innumeris virtutibus idem Dei servus.